



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Annuae Litterae Societatis Iesv Anni. M.D. LXXXII Patribvs, Fratribvsqve  
Societatis Iesu, gratia, & pax Christi Domini, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66469](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66469)

AN NV AE LITTER AE  
SOCIETATIS IESV

ANNI. M. D. LXXXII

PATRIBVS, FRATRIBVSQVE

Societatis Iesu, gratia, & pax

Christi Domini, &c.



**H** *T* officij ratio, & anni tempus fere elapsum postulat Patres, Fratresque Carissimi, vt Societatis consuetudine vobiscum ea communicentur, quæ à nostris toto orbe dispersis ad Dei Gloriam, proximorumq; vtilitatem hoc anno gesta sunt. quæ quidem etsi ita multa contigerunt, vt Deo gratias agere debeamus ingentes, qui erga nostram Societatem tam certa suæ Providentiæ signa ostendit; ex ijs tamen ea seligam dumtaxat, quæ insigniora videbuntur. Neque enim institutum est annuis litteris quotidiana, & communia Societatis ministeria inculcare, sed ea tantum breuiter attingere, quæ in ordinarijs ministerijs exercendis vel noua, vel singularia acciderunt. itaque mirari nemo debet hisce litteris præteriri aliqua Collegia, quæ nihil præter communia habere, neque enim omnes anni eandem vbiq; messem ferre possunt. Sed vt ad propositum veniam, Constat

A 2 nostra

nostra Societas Prouincijs duabus, & viginti, ex quibus Lugdunensis in Gallia hoc primum anno instituta est. Ex his Prouincijs duarum Brasiliensis, et Polonica annuæ litteræ sunt desideratæ, in reliquis vero numerantur de Societate 5583. ex quibus in Societate adscripti sunt hoc anno 547. mortem obiere 112.

Collegia hoc anno in omnibus Prouincijs plurima sunt à viris Principibus, ciuitatibusque efflagitata; ex quibus quæ ad fundationem opportuna omnia deferebant, amplius viginti sunt à P. Generali reiecta, cui magis è re communi videtur instituta confirmare, quàm noua instituire. Vnum tamen Talabricense in Toletana Prouincia est admissum, ab Archiepiscopo Toletano Societatis amantissimo fundatum,

de quo vt suo loco plura dicentur,

ita hæc initio generatim de Societate perstrinxisse sat

erit. Iam ad singulas Pro-

uincias

descendamus.

